



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio**

**Coloniae Vbiorvm, 1645**

CAP. II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10133**



## C A P. II.

**E** Go igitur jam inde ab uberibus matris meæ improbus, semper Spiritui Sancto restiti, semper vitiosis meis propensionibus me constringendum trahendumque permisi. Neq; vigerunt apud me studia pecuniæ, neque flagravat ambitio; sed astuavit ardor concupiscentiæ. Meus enim propensus ad amandum animus, adolescentiam, atque etiam juventutem meam, variis fere semper amoribus, tanquam crucibus, exercitam habuit. Verum, huic meæ naturali propensioni, tanquam moles atque munitio, obstabat naturalis quidam metus ac pudor; præterea timor tui: qui tamen timor, ubi pudor ac metus aliorum non prohibebat, sæpius à libidine mea superabatur, ac faceßere jubebatur. Sed prorsus fugerat à me ratio, fugerat mens atque consilium. nam, si quis metus obstare debebat cupiditati meæ, quem potius timerem quam te, verende, metuende, tremende, formidande; qui potes occidere corpus, & postquam illud occideris, mittere animam in gehennam?

## C A P. III.

**V** Erum, naturalis illa timiditas, five tuum donum sive naturæ vitium, id secum boni afferebat, ut libidini, gestienti foras erumpere, raro, vel nunquã, ad exeundum, aditum daret. Nam tum adolescentem, tum juvenem, ab aliquibus ultro expetitur, ab aliquibus vero vultu ac voce ad audendum impulsus, tantus repente timoris rigor invadebat, ut omnem libidi-